

cognoscibilia, sicut gratia miraculorum ad omnia supernaturaliter factibilia, quod etiam dixerat S. Thomas 2-2, quæst. CLXI, art. II: « Scientia infusa Christi se extendit ad omnia supernaturaliter cognoscibilia per quocumque revelationes sicut prophetia, » ut expresse dicit S. Thomas infra quæstione XI, articulo primo; ergo non potest dari ista scientia modo habituali in Christo, sicut neque prophetia.

XXVI. Respondetur esse longe disparem rationem de virtute miraculorum, et de scientia per se indita, quia ad miracula non potest concurrere anima Christi, ut causa principalis, sed ut merum instrumentum divinæ omnipotentiae, quia miracula excedunt totam naturam; et ideo principalis eorum causa debet totam naturam excedere, et hæc est Deus. Quod autem utatur virtute miraculorum cum voluit, non arguit quod habeat qualitatem per modum permanentis ad producenda miracula active sed sufficit quod sit destinata permanentemente ad operandum quæcumque miracula ad finem incarnationis ordinata. Sicut destinatur sacerdos, ut minister per characterem, ut ministerialiter operetur consecrationem quoties voluerit; character autem quædam participatio est sacerdotii Christi, ut docet S. Thomas infra quæst. LXIII, art. III: sacerdotium autem Christi consistit in plenitudine gratiarum in quantum est caput omnis gratiæ, ut docet S. Thomas infra quæstione XXII, articulo primo ad tertium, et per talem gratiam habitualiter destinatur ad patranda quæcumque miracula voluerit. Cæterum ad cognitionem supernaturalem non concurrat anima Christi ut instrumentum, quia cum sit actio vitalis non potest exire ab anima, ut pure mota, sed ut se movente, et consequenter ut a causa

principali, quæ si modo connaturali, et perfecto existit in anima debet esse habitualis, et permanens.

XXVII. Ad confirmationem respondetur, quod lumen propheticum etiam est qualitas constituens intellectum, ut causam principalem cognitionis prophetiæ; cæterum non existit imperfecta modo perfecto, et connaturali; atque adeo per modum permanentis quamdiu est perfecta non habet in se radicem cognoscendi ea, quæ revelantur: radix autem talis cognitionis est cognitio divinæ essentiae, quia sicut principia se habent ut radix conclusionum, ita divina essentia ut principium supernaturale veritatum, et ideo quando non videtur essentia divina, non potest haberi cognitio intellectualis supernaturalium veritatum in sua radice, et in suis principiis, et ideo non cognoscitur per modum permanentem, sed per modum transeuntem, quæ est doctrina S. Thomæ quæst. CLXXI, articulo primo.

XXVIII. Unde quando postea quæstione CLXXVIII dicit, quod prophetia non datur per modum qualitatis permanentis, quia se extendit ad omnia supernaturaliter intelligibilia, juxta superius dicta, intelligitur in eo qui non videt essentiam divinam, quæ est radix, et principium supernaturalium veritatum; visa autem divina essentia, ut Christus videbat, manet cognitio supernaturalium in proprio genere, non jam prophetice, sed scientifice, dicente Apostolo: *Sive prophetiæ evacuabuntur, sive linguæ cessabunt.*

XXIX. Si inquiras quomodo scientia infusa cognoscit res in proprio genere, si habet pro principiis in quæ resolvit divinam essentiam, respondetur quod scientia infusa non est una specie, sed per distinctos habitus variata, ut docet S. Thomas infra quæstione XI, articulo VI.

Unde non est inconveniens, quod per unum habitum cognoscat res in proprio genere pure, et simpliciter, id est, tam ex parte principiorum, quam ex parte conclusionum sine ulla dependentia, et per alium habitum cognoscat alias res in proprio genere, sed cum aliqua dependentia, et resolutione in divinam essentiam.

XXX. Constat enim in omnium sententia, quod theologia beatorum deducit suas conclusiones ex Deo non credito, sed viso: et similiter veritates revelatæ nobis per prophetiam, sive per aliud lumen, possunt cognosci, ut conclusiones deductæ ex divina essentia clare visa tamquam ex principio, et quia ab illa deducuntur tamquam conclusiones illatæ, cognoscuntur extra Verbum in proprio genere, indigetque beatus convertere se ad species proprias repræsentantes tales res in proprio genere, quæ debentur beato ex vi ipsius beatitudinis, et sibi infunduntur a Deo, ut ita possit, ea quæ videt communicare aliis, et in se conferre, sive per similitudines ab ipso beato formatas cognoscantur, sicut ponit S. Thomas I parte, quæstione XII, articulo IX ad secundum, et talis cognitio manet in proprio genere quatenus habetur per species proprias, dependenter tamen a visione divinæ essentiae.

SOLVUNTUR ARGUMENTA.

XXXI. Ad objectiones factas in principio. Ad primam respondetur, quod licet auctoritates Scripturæ non ita expresse expriment hanc scientiam, et omnes ejus conditiones, satis tamen probabiliter ex Scriptura colligitur; tum, propter plenitudinem, et multitudinem scientiæ, quam ponit in Christo, quæ non ita bene salvatur per solam

scientiam beatam, quia hæc est per formam excedentem connaturalem modum intelligendi; unde si solum haberet scientiam beatam in modo connaturali intelligendi, maneret vacuus; tum, quia ponit scientiam inditam, et infusam per dona Spiritus sancti, quæ secundum S. Thomam pertinet ad scientiam infusam in Christo; tum, quia ponit in Christo actus, qui connaturali modo exerceri non possunt nisi per hanc scientiam, ut docere alios, judicare de omnibus, mereri etiam in primo instanti conceptionis suæ, quando nondum habebat scientiam acquisitam: per scientiam autem beatam, aut exerceri non poterant, aut connaturali modo non poterant. Hæc ergo omnia indicantur in Scriptura, et ideo satis conformiter ad ipsam ponitur in Christo hæc scientia, quæ ad ejus perfectionem, atque officii dignitatem maxime conducit.

XXXII. Ad secundam respondetur, quod neque Angeli ad illuminandum alios utuntur sola scientia beata, sed indigent conversione ad aliquam cognitionem in proprio genere, quæ habetur per species infusas, etsi non habeat eum modum, quem habet in Christo quantum ad hoc quod est indigere habitu, et uti posse discursu. Nec habet tantam perfectionem quantam in Christo, quantum ad multitudinem cognitorum, et claritatem cognoscendi (ut infra quæstione XXI dicitur) vere tamen habet scientiam aliquam infusam, et similitudines inditas naturales, sive supernaturales sine quibus illuminationes illæ fieri non possent, ut ostensum est.

XXXIII. Ad tertiam respondetur multos Thomistas sentire, quod propter actum charitatis, etiam ut regulatum scientia beata, Christus potuit mereri, secundum quod actus ille ferebatur in creaturas visas

in Deo, et in Deum ut principium creaturarum. Ita tenet magister Alvarez hic disputatione XLV, Capreolus, et Asturicensis; alii vero etiam Thomistæ oppositum tenent (et videtur satis verisimile, idque etiam reputat probabile Asturicensis, nec S. Thomas oppositum docet in locis, quæ citat magister Alvarez) solumque reprobant, quod eadem charitate qua fruebatur, merebatur, id est, eodem habitu. Et similiter quod erat idem motus charitatis, scilicet ex parte objecti dilecti; quod vero eadem regulatione esset regulatus, sive esset omnino idem, et indivisibilis actus, quo fruebatur, et merebatur, S. Thomas non dicit, ideoque loca ejus non cogunt. De his autem latius tractare pertinet ad quæstionem XIX, et ideo non possumus immorari. Solum ad rationem factam in argumento opposito (quod est præcipuum fundamentum oppositæ sententiæ) est duplex probabilior solutio.

XXXIV. Prima, quod actus charitatis ut regulatus scientia beata, et infusa sint actus diversæ speciei: secunda, quod differunt solum numero. Utramque impugnat magister Alvarez, sed explicari possunt sic. Prima quidem solutio dicendo, quod actus illi sunt diversæ speciei quasi incomplete, et secundum quid non complete, et perfecte, sicut partes heterogeneæ, quæ informantur eadem anima, ut manus, et oculus, sunt distinctæ speciei incomplete; et sicut ab eadem virtute eliciuntur actus diversæ speciei incomplete, ut a religione oratio, devotio, adoratio, etc. a fortitudine aggredi, et sustinere, et alia similia: imo in ipsa charitate diligere Deum, et diligere proximum sunt duo actus distincti, ut expresse docet S. Thomas 2-2, quæstione XLIV, artic. II ad primum, ubi inquit, quod licet charitas sit una virtus,

habet tamen duos actus, quorum unus ordinatur ad alium ut ad finem, et ideo oportuit esse plura præcepta charitatis, scilicet de diligendo Deo, et proximo.

XXXV. Igitur sicut S. Thomas admittit intra eandem speciem charitatis duos actus, qui ut informantur ab eodem habitu, et motivo sunt ejusdem speciei, licet partialiter, et incomplete possint esse distinctæ speciei, cur non admittemus etiam duos actus quasi partiales diligendi Deum cognitum perfecte, et non plene, et ut cognitum in seipso plene, et sic diversimode regulatos, et diversimode tendentes, quorum unus ordinatur ad alium ut ad finem, tamquam meritum ad præmium? Et ita licet procedant ab eodem habitu, et sint ejusdem speciei quasi complete, sunt tamen diversæ speciei quasi partialiter, et incomplete.

XXXVI. Et contra hanc solutionem non militant argumenta Alvarez, quæ solum probant actum charitatis ut a fide, et a visione beata non esse diversæ speciei adæquate, et complete, quia fit duplex virtus, et duplex qualitas specie distincta.

XXXVII. Secunda etiam solutio explicatur fere eodem modo, quod duo accidentia solum numero distincta non possunt esse in eodem subjecto, nisi habeant aliquam modificationem specie distinctam, ratione cujus compati possunt. Si autem sint ejusdem speciei secundum omnimodam modificationem, non possunt esse in eodem subjecto, verbi gratia, visio duplicis albi est visio ejusdem speciei ex parte objecti specificantis, et tamen potest esse duplex ista visio, scilicet in eodem oculo, quia potest videri ut magnum sub distincta figura, sive distantia, sive motu, quæ est distincta modificatio ab altero albo. At vero duplex visio ejusdem albi non potest poni in eodem oculo, sed ne-

cessario debet esse in diversis subjectis.

XXXVIII. Sic ergo in proposito actus diligendi Deum, et proximum, sive diligendi Deum clare cognitum, aut obscure cognitum ex parte bonitatis et motivi, quo amatur, et habitus a quo procedunt solum numero differunt: quia etiam habent distinctam modificationem ex parte modi regulandi, aut modificandi utrumque actum, non repugnat simul esse in eodem subjecto.

XXXIX. Neque obstat, quod non possunt multiplicari plures relationes ad plures filios in eodem Patre, quia generatio unius Filii in hoc quod est fundare relationem paternitatis, et ipsa relatio sic fundata, nec habet distinctam modificationem, nec distinctam specificationem, quia licet duo filii differant individualiter secundum diversa accidentia, tamen relatio paternitatis non terminatur ad diversa accidentia, sed ad ipsam rationem Filii, quæ eodem modo se habet in uno, atque in altero filio. Unde non restat aliquid per quod differant illæ rationes individualiter in eodem subjecto: quando vero accidentia diversimode modificantur, diversimode etiam individuuntur in eodem subjecto.

XL. Ad confirmationem hujus tertii argumenti respondetur, quod etiam relationes extra Verbum, pertinent ad scientiam infusam; dicit enim S. Thomas infra quæstione XI, articulo primo, quod scientia infusa se extendit ad omnia, quæ quocumque modo revelantur a Deo; unde revelatio extra Verbum non distinguitur contra revelationem per scientiam infusam.

XLI. Ad quartum respondetur Angelos habere etiam scientiam infusam, id est, cognitionem extra Verbum, etiam rerum supernaturalium; est enim cognitio matutina,

et vespertina, quæ distinguuntur penes hoc, quod est cognoscere res in Verbo, sive extra Verbum; una tamen nascitur, et consequitur ex alia, sicut vespere ex mane. Imo ex hac similitudine cognitionis angelicæ probat S. Thomas dari in Christo scientiam infusam, sicut in Angelis cognitionem vespertinam, alioquin non possent Angeli illuminare inferiores, nisi cognoscerent supernaturalia objecta extra Verbum, licet in eis scientia infusa non sit tantæ perfectionis quantum ad multitudinem objectorum, et claritatem cognoscendi, sicut scientia infusa animæ Christi, ratione cujus potest illuminare Angelos determinando, et confortando species eorum, ut clarius aliquid cognoscant, sive ad aliquod objectum se extendat ad quod antea non se extendebat, quod antea non erat eis debitum quantumcumque habeant universaliores species, quam anima Christi.

XLII. Ad impugnationem rationis S. Thomæ respondetur ex dictis, quod licet carere aliqua perfectione pertinente ad potentiam obedientialem non sit imperfectio in anima considerata præcise in statu naturali illius, considerata tamen in statu ad quam elevata est anima Christi, sicut ut assumpta a Verbo ad supremam visionem, et supremum officium docendi omnes, esset imperfectio carere scientia infusa, et manere in potentia ad cognoscenda omnia intelligibilia in proprio genere, de quibus potest illuminari, et judicare.

XLIII. Ad confirmationem respondetur species intelligibiles per se infusas, et acquisitas non esse ejusdem speciei, quia licet repræsentent idem, non tamen eodem modo, neque in eadem abstractione, et immaterialitate: neque enim est eadem abstractio ejus, quod dicit dependentiam a phantasmate, et

ejus quod non dicit. Sicut species superioris Angeli differunt ab speciebus inferiorum, etiam circa idem objectum, et species albi ut est in oculo differt ab specie ejusdem albi in imagine sua. Neque etiam cogimur ponere species supernaturales quoad substantiam repræsentantes res naturales, verbi gratia, equum, aut hominem; si enim tales sunt supernaturales quoad substantiam quando directe, et primo repræsentant rem naturalem, si tamen repræsentent rem naturalem quasi in connotato, et obliquo, verbi gratia, hominem in quantum est subjectum gratiæ, gratiam autem primo et per se, tunc non repugnat per species, quæ sunt supernaturales quoad substantiam repræsentari rem naturalem ut subordinatam supernaturali, et tunc manifeste tales differunt a speciebus acquisitis.

XLIV. Si autem repræsentent rem naturalem directe, et primario, quam etiam repræsentant species acquisitæ, verbi gratia, hominem, aut equum, adhuc differre possunt essentialiter a speciebus acquisitis, sive per accidens infusis ex diverso modo essentiali tendendi in talia objecta, quia species acquisitæ adæquantur ipsis rebus a quibus hauriuntur; species autem per se infusæ excellentiori modo repræsentant, quia repræsentant ut derivatæ, et ab ideis exemplatæ divinis. Sicut modo differunt species quæ infunduntur animæ separatæ ad cognoscendas res naturales ab illis, quas mediante phantasmate abstrahimus ab objectis.

ARTICULUS III.

Utrum scientia naturalis propriis actibus fuerit a Christo acquisita?

I. Duplex in hac parte insinuat difficultas, altera de ipsa re, an

Christus Dominus vere acquisierit hanc scientiam propriis actibus; altera circa rationem S. Thomæ, qua probat acquisivisse hanc scientiam propriis actibus: «Neintellectus agens esset frustra;» an vero ista ratio efficax sit.

II. Circa primum nonnulli auctores existimarunt Christum Dominum habuisse hanc scientiam per accidens infusam, licet ex diversis motivis, nam aliqui ex eo, quod putabant scientiam infusam, et acquisitam non distingui, quando versantur circa idem objectum, id dixerunt: et in hunc modum dicendi inclinatur Durandus in III, distinct. XIV, quæst. IV, et Gabriel ibidem quæstione unica, articulo tertio, dubio primo. Quidam etiam citant Scotum, sed de ejus mente non ita constat in hac parte; alii autem simpliciter, et absolute docent scientiam naturalem fuisse per accidens infusam in Christo, ne aliquando careret hac perfectione; quæ videtur esse sententia sancti Bonaventuræ in III, dist. XIV, art. III, quæst. II, in corpore, et ad secundum.

III. Et videtur etiam esse plurimum auctorum tempore S. Thomæ, quam et ipse tenuit, ut refert hic articulo quarto, et infra quæst. XII, articulo primo, qui dicebant Christum non habuisse scientiam acquisitam secundum modum humanum, et ex parte causæ agentis, id est, quod modo humano, et per intellectum agentem acquireretur; non vero omnino explicabant, an daretur aliquis habitus distinctus ab habitu per se infuso, quasi duo habitus infusi essent in Christo, alter per se, alter per accidens, qui esset ejusdem speciei cum acquisito, et solum differret ex parte causæ efficientis; sed magis insinuat S. Thomas non posuisse nisi habitum per se infusum, nullum vero acquisitum.

IV. Tandem vero pater Suarez

hic disput. xxx, sect. II, distinxit inter cognitionem quasi scientificam, et quasi experimentalem, et dicit quod scientia naturalis quoad habitum, et species necessarias ad cognitionem scientificam, et demonstrativam fuit per accidens infusa Christo ab initio suæ conceptionis. Scientia vero experimentalis fuit propriis actibus acquisita, non solum ex parte sensuum, quia de novo experiebatur sensitiva cognitione objecta, quæ ante non sentiebat, sed etiam ex parte intellectualis cognitionis, quia de novo intellectus experiebatur aliqua objecta. Et quia aliis difficile visum est, quod intellectus de novo acciperet cognitionem experimentalem, non accipiendo species; si autem illas accipiebat, superflue ponebantur infusæ per accidens, dixerunt Christum Dominum habuisse hanc scientiam per accidens infusam quantum ad habitum, qui est lumen, seu inclinatio habitualis ad cognitionem elicendam: at vero quantum ad ipsas species fuisse propriis actibus a Christo acquisitam.

V. Omissis autem rationibus Durandi, quæ procedunt ex præsuppositione, quod scientia infusa, et acquisita sunt ejusdem speciei, et sic non possunt esse simul in eodem subjecto, variis rationibus hanc sententiam amplificat Suarez, sed totum fere pondus rationum reducit ad hoc, quod pertinebat ad perfectionem animæ Christi habere hanc scientiam perfectam, et non decuit aliquo tempore tali perfectione carere, nec talis carentia congruebat operi redemptionis. Hoc autem sic probatur: Primo, quia Christus Dominus secundum scientiam naturalem cognoscebat substantias separatas, et substantiam animæ suæ eo modo, quo anima separata seipsum cognoscit; quæ cognitio independenter a sensibus ha-

betur, et consequenter anima Christi, ut animas separatas intelligeret, debuit habere infusas: species quod si habuit respectu substantiarum immaterialium, cur non respectu materialium? De utrisque enim accipit anima separata species naturales.

VI. Secundo, quia Christum nulla decuit ignorantia, aut privatio scientiæ naturaliter debitæ, etiam pro brevissimo tempore; licet enim homini naturale sit procedere ab imperfecto ad perfectum, tamen in Christo magis attendendum est ad debitum connaturale ipsi ministerio, et dignitati ad quam est elevatus, quam ipsi humanitati secundum principalia naturalia considerata. Ille autem connaturalis processus de imperfecto ad perfectum supponit imperfectionem ignorantiam in ipsa naturali scientia; talis autem imperfectio non erat necessaria fini redemptionis, sicut aliæ imperfectiones corporales fuerunt; ergo attendendo ad finem redemptionis, et ad dignitatem ministerii non decuit Christum illam imperfectionem assumere.

VII. Tertio, quia non decuit, quod Adam ex eo quod erat caput generis humani, careret aliquo tempore scientia naturali, ut eam acquireret propriis actibus, quia licet ille modus sit connaturalis naturæ humanæ, tamen in primo capite magis attenditur perfectio congrua dignitati capituli, quam communis modus perfectionis naturæ; ergo similiter in Christo, qui erat caput et superior ipso Adam, et tota natura, debuit poni illa perfectio scientiæ naturalis sine hoc quod careret aliquo tempore illa, non obstante, quod modus connaturalior humanæ naturæ est acquirere illam propriis actibus, quia id non est connaturalius capiti naturæ.

VIII. Neque obstat, quod habebat